

Indesinenter inhæres chartis. Studies noctes ac dies. Nunquam non studies. Assiduus es in studio. Jugiter intentus es libris. Nullum facis studendi finem, neque modum. Nullam studiis tuis requiem intermisces. Nunquam studendi laborem nec intermittis, nec remittis. **Ge.** Age, tuo more facis. * Rides me ut soles. Nunc ludis tu quidem me. Saise me rides. Satyricum agis. Naso me suspendis adunco. Non me fallit tuum scomma. Nunc plane joco mecum agis. Sum tibi risui. Rideor abste. Pro delectamento me habes. * Nunc me ludos deliciasque facis. Eadem opera assue mihi auriculas asini. Ipsi codices pulvere situque obduicti loquuntur, quam sim immodicus in studio. **Sy.** Emoriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid fingo. Ne vivam, si quid simulio. Loquor id quod sentio. Quod res est dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio, quam loquor.

Rides me] Observa copiam.

Nunc] Sin interponatur pronomen tu, integer erit pentameter.

Cur non visis?

Ge. Quid causæ est, quod tam diu nos non inviseris? Quid rei est, quod nos tam raro visis? Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi vult, quod nos tam diu non converneris? Quid obstitit, quo minus visas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus jam diu feeeris nobis tui videndi copiam?

Non licuit per occupationes.

Sy. Non licuit per ocium. Volui quidem

at.